



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Corona urbs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

nam pariter excludi. Quod si, quod raro accidit, geminos vel mares, vel utramque foeminam gigni contigerit, caelibem utrumque vitam agere, conjugatorum vero, si alterum moriatur, marem cum nulla unquam alia Cornice copulari, neque etiam semel viduata foemina marem unquam amplius quærit usque dum vivit: sed ut apud Maronem est, *Sola in sicca secum spatiatur arena.* Unde fit, et Ægyptiorum disciplina, ut in Cornicem unam tantum incidentes, inauspicatum esse mortales putent: quod Ælianus etiam tradit, viduato scilicet animali obviam facti, ac perinde caelibem solitariamque, hoc est, tristem ac necessariis desitutam adminiculis, vitam degendam esse. Hinc etiam Zozes apud Hesiodum, ubi Poeta uxorem auspicato ducendam monet, *Si, ait interpres is, Cornices duas observaveris.* Sunt qui avem hanc inauspicatam omnino putent garrulitatis: a quibusdam autem inpendio laudatur.

MARITALIS COPULA. CAP. XXVII.

Cornicis pro nuptiis.

ET eodem quidem argumento, iisdemque Cornicibus geminis congressum maritalis copulae legitimum indicabant, quod ajunt, eas ita invicem copulari, quemadmodum homines naturali more junguntur. Hinc illud, quod ore eas coire vulgus arbitratur. Præterea omnia, quæ corvinam speciem habent, raro coire solent, identidemque sacrum matrimonii fœdus nulla labefacti periculantia, vel improboris lasciviae nequitia debet, uti multos legimus, non nisi liberorum quærendorum causa conjungi solitos, a conceptu sibi temperasse: qui quidem modus & tenor & sobrie ac honeste servatus in causa fuit, ut per Cornices duas nuptiarum fieret hieroglyphicum.

CONCORDIA. CAP. XXVIII.

Cornicis clamor in nuptialibus festis antiquus.

CATERUM, qui in nullo unquam vitæ colore ac statu concordia magis expetitur, quam in maritali commercio, Cornix hinc ipsa concordia symbolum habetur; ideoque vulgo Græci, ut Hori interpres Philippus observavit, nuptialibus festis *ἐκκορηκοράνη* clamitare consueverunt, cum tamen ignorarent, ex instituto veteri Cornicem in nuptiis omine auspiciatissimo nominari solitam. Animadvertendum autem in Græcica illa succlamatione aliquid desiderari, videndumque apud Æschylum, Danaidibus, ita scribi, *ὄν κορέσις τε, καὶ κοράις, καὶ τῶ βίῳ ἐκκορεῖ* pro *κοράς κοράις*. Nonnulli vero dicunt hortandi modo enunciandum, *ἐκκορεῖ κοράς κοράνας* quod nescio quid esse volebant, quod cantilatum verecundiam iis, qui liberis operam dabant, auferret, quæ si quis uberiorius declarari cupiat, ad commentaria Pindari se conferat, in Pythiis, ode tertia. Sed ut ad concordia hieroglyphicum revertamur: alitis hujus simulacrum sæpe vidimus in Faustina Augustæ nummis, cum inscriptione, *CONCORDIA*. Eoque nimirum Juvenalis respexit, cum veterem concordiam dixit nido increpitare, quamvis superiore ætate fuerunt, qui Ciconiam ad hoc signari abstracti sunt: sed enim, quam in numis conspeximus, nihil habet quod ad Ciconiæ effigiem referri possit.

Satyri I.

CORONA URBS. CAP. XXIX.

Corone urbi Messeniorum in Peloponneso.

CORNIX vero in manu Palladis, cujus simulacrum aheneum sub dio Coronæ visebatur, civitatis ipsius & nomen, & nominis causam significabat. Ait enim Pausanias, Coronem civitatem in hoc eo nomine nuncupatam fuisse, quod in fundamentis, dum urbs ea in Peloponneso conderetur, ab æthiopia Cornix inventa fuerit, ea vero *κοράνη* Græce nimirum est.

GARRULITAS. CAP. XXX.

SED esto, fuerit Cornicis simulacrum in manu Palladis in clara admodum Peloponensi civitate, longe secus Athenis, ubi Cornices ad arcem Palladis non advolabant, de quo Lucretii sunt carmina in hunc modum:

Lib. 6. de nat. rer.

*Est & Athencis in montibus, arcis in ipso
Vertice, Palladis ad templum Tritonidos alma,
Quo nunquam pennis appellunt corpora mucæ
Cornices, non cum fumant altaria donis;*

*Usque adeo fugitant non iras Palladis arces,
Pervigili causa, Grajū ut cecinere Poeta,
Sed natura loci hoc opus efficit ipsa sua vi.*

Natal. Com. lib. 4. c. 5. Sat. 5.

Ex Græcorum igitur ipsorum sententia, abjecta repulsaque Cornix a Pallade est, utpote quæ meditationum pervigilio infesta sit, & mentis agitationem interpellat obturbetque garrulitate sua, cujus est hieroglyphicum. Inde autem & Cornicari verbum, quo utitur Persius:

Nihil